

Ad caules ramosque siccos Solani dulcamarae prope Aboam.

Ad *Dothiopsis* \*) pertinent:

*Dothiopsis Juniperi* (Fr.) Karst. *Sphaeria Juniperi* Fr. Syst. Myc. II, p. 366 et El. II, p. 74. Sacc. Syll. II, p. 372.

Spermatia cylindracea, utrinque obtusa, rectiuscula, simplicia, hyalina, longit. 12 mmm, crassit. 2 mmm.

\**Pinastri* (Fr.) Karst. *Dothidea pinastri* Fr. El. II, p. 123.

Stromatibus crassioribus firmioribusque a typo discrepans. Var. *pithyophila* (Sacc.) Karst.

*Dothiorella* \*\*) *pithyophila* Sacc. Mich. VIII, p. 619. nec non *Fusicoccum bacillare* Sacc. Mich. VIII, p. 627.

\*\**Dothiopsis latitans* (Fr.) Karst.

Spermatia cylindracea, rectiuscula, utrinque obtusa, longit. 12—13 mmm, crassit. circiter 2 mmm.

Var. *Pyrolae* Karst.

*Dothiora pyrenophora* Fr. obvenit quoque in:

*Salicibus* (\**Salicis* Karst. Symb. ad Myc. Fenn. XIX), *Betulis* (\*\**Betulae* Karst. l. c.) et fructibus *juniperi* communis (\*\*\*) *Juniperi* Karst. l. c.)

*Dothiora eunomia* Karst. (N. sp.)

Stromata gregaria, peridermio elevato rimose fissis tecta, vulgo rotundata, unilocellata, 0,3—0,5 mm lata. Spermatia elongata, recta vel leniter curvula, eguttulata, longit. 4—5 mmm, crassit. 0,5—1 mmm.

In ramulis siccis *Fraxini excelsioris* ad Mustiala.

*Stysanus macrocarpus* Karst. (N. sp.)

*Stipites* sparsi, teretes, superne dilatati, atri, breves. Conidia ex hypharum apice secedente catenulatim oriunda, oblongata, utrinque rotundata obtusissima, eguttulata, hyalina, in flavum vel viridem leviter vergentia, longit. 19—22 mmm, crassit. 8 mmm.

Ad ramulos emortuos *Coryli Avellanae* in Mustiala.

---

## Fragmenta mycologica. X. Auctore P. A. Karsten.

*Crouania Nylanderii* Karst. (N. sp.)

Syn. *Peziza Polytrichi* Nyl. Obs. Pez. p. 22. Karst. Monogr. Pez. p. 121 et Myc. Fenn. I, p. 62.

---

\*) Genus noster, *Dothiopsis* a *Fusicocco* (Cord.) Sacc. forte non satis diversum est.

\*\*) *Dothiorellae* genus *Saccardoanum* est *Friesii Dothiora*.

A *Peziza Crouani* Cook. Mycogr. Fig. 17 apotheciis minoribus sporisque asperulis statim dignoscenda.

*Peziza leucoloma* Karst. Myc. Fenn. I, p. 63 et Fung. Fenn. exs. 537 a *Peziza astroidea* Hazsl. Cook. Mycogr. Fig. 49 solum sporis vulgo non exacte sphaeroideis (longit. 12—13 mmm, crassit. 10 mmm) differre videtur. Paraphyses (desunt in icone Cookei!) numerosae, filiformes, 2 mmm crassae, apice curvatae, 3 mmm crassae.

*Excipula* (Fr.)

Receptaculum cupulatum, glabrum. Spermata oblongata vel elongata, simplicia, hyalina.

*Excipula juncigena* Karst. (N. sp.)

Spermogonia laxe gregaria, superficialia, subovoidea, margine inflexo, glabra, atra, sicca corrugata, disco minuto, atro, 0,5—0,8 mm lata. Spermata elongata, utrinque obtusiuscula, recta vel lenissime curvula, simplicia, hyalina, longit. 8—14 mmm, crassit. 2 mmm.

Ad culmos siccos Junci conglomerati prope Aboam.

*Excipula turgida* Fr. spermata habet ellipsoideo-oblongata, utrinque obtusissima, saepe 2-guttulata, hyalina, in flavum levissime vergentia, longit. 22—26 mmm, crassit. 9—10 mmm.

*Dinemasporium graminum* Lév. \**D. strigosulum* Karst. (N. subsp.)

A typo recedit spermatis minoribus (longit. 9—12 mmm), crassit. 2—3 mmm, setulisque 6—8 mmm longis utrinque auctis.

In culmis folisque emortuis *Secalis cerealis*, Poae et *Phragmitis communis* circa Mustiala non rarum.

*Dothiora Syringae* Karst. (N. sp.)

Stromata conferta, seriatim disposita, nonnumquam subconfluentia, per corticem erumpentia, applanata, forma varia, ut plurimum angulato-rotundata vel angulato-oblongata, laevia, nuda, nigra, sicca admodum dura, usque ad 1 mm lata. Spermata ovoidea vel ovalia, simplicia, hyalina, longit. 4—6 mmm, crassit. 3 mmm.

In ramis emortuis *Syringae vulgaris* prope Aboam.

*Fusicoccum coronatum* Karst. (N. sp.)

Stromata hypo-raro epiphylla, sparsa vel conferta, per epidermidem nigrefactam fissam erumpentia, depresso-subconoidea, albido-furfuracea, 0,5—0,8 mm lata. Spermata cylindracea, utrinque rotundata, longit. 12—14 mmm, crassit. 2—2,5 mmm.

In foliis *Betulae albae* putrescentibus ad Mustiala.

Species *Fusicocci* (*Dothiopsisidis*) omnes in Fennia

obviae verisimiliter spermogonia *Coccomycetis* (vel *Phacidii*) sistunt:

- Fusic. Juniperi* (Fr.) Karst. *Cocc. Juniperi* Karst.;  
*Fusic. pinastri* (Fr.) Karst. et *Fusic. pithyophilum* (Sacc.) Karst. *Cocc. Pini* (Alb. et Schw.) Karst.;  
*Fusic. coronatum* Karst. *Cocc. coronati* (Fr.) Karst.;  
*Fusic. latitans* (Fr.) Karst. *Phacidii Vaccinii* Fr. sec. Fuck.

---

### Notula.

Clarissimus Dr. Rehm, utpote e „Corrigenda“ in Rabenhorst-Winter: *Fungi Europaei* Cent. 30 patet, fungillos nostros in ista exsiccata sub No. 2744 et 2835 editos ad alias species referendos esse censet, nempe *Mollisia Myricariae* Bres. No. 2744 ad *Nipteram Ligni* (Desm.) Rehm *Ascom.* No. 413, et *Mollisia caesiella* Bres. No. 2835 ad *Pyrenopezizam aterrimam* Rehm *Asc.* No. 512. —

Non contentionis causa, sed amore veritatis unice ducti, huic sententiae nos subscribere non possumus; qua vero de causa in sequentibus depromimus.

1. *Mollisia Myricariae* Bres. cum specie a Rehm in suis *Ascom.* No. 413 edita utique convenit, sed minime cum *Cenangio Ligni* Desm., quale a me, et a Mycologis generatim est intellectum. *Cenangium Ligni* Desm., nobis ad ramulos *Mori albae* frequenter obvium, differt *ascomatibus* jam primitus subcoriaceis, etiam disco fuscis, non vero carnosomollibus, et disco cinereo, uti in nostra *M. Myricariae*, quae in prima evolutione facillime cum *Mollisia cinerea* Batsch confundi potest.

Etiam Clarissimi Mycologi Boudier, Quelet, et Saccardo, cum quibus specimina communicavimus in specie nostra minime *Cenangium Ligni* Desm. recognoverunt; sed Boudier in ea novam vidit speciem, Quelet varietatem *Mollisiae cinereae* Batsch. habuit, et Prof. Saccardo eam ad *Pezizam Tamaricis Roum.* duxit, at e speciminibus authenticis a Roumeguère habitis mihi res non satis clare elucet.

Species nostra ergo minime cum *Cenangio Ligni* Desm., prout amicus cl. Dr. Rehm autumat, conjungi potest; sed cum revera sit identica cum specie a Rehm in *Ascom.* ad No. 413, anno 1876 edita sub nomine *Tapesia fusca* f. *Myricariae*, nunc ceu *Mollisia Myricariae* (Rehm) in catalogo mycetum servanda est. —

2. *Mollisia caesiella* Bres. (in *Fung. Europ.* No. 2835) vero certe diversa a *Pyrenopeziza aterrima* Rehm *Ascom.*

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1884

Band/Volume: [23\\_1884](#)

Autor(en)/Author(s): Karsten Petter Adolf

Artikel/Article: [Fragmenta mycologica X. 20-22](#)